

PETRI RAMI SCHOLA-
RUM MATHEMATI-
CARUM LIB. III.

In I. lib. Arithm.



RIBUS superioribus libris proœmiiū quoddam fuit cohortatio-
nis ad artes mathematicas, deinceps materiēs nobis pressior erit in
singulis præceptis mathematicis. Quartus itaque liber erit in defi-
nitionem & partitionem mathematicæ, & in primum librum no-
stræ arithmeticæ. Quid igitur est mathematica? Est (inquam) do-
ctrina quantitatis: ut verò definitur arithmetica bene numerandi, geometria bene
metiendi doctrina, sic generali verbo, modò ex suo fine definiretur mathematica
ars, tanquam diceretur, quantitandi. Sed tamen non si vocabulum deest, res ipsa
minus intelligatur: nomen autem μαθησεως, μαθηματος, μαθηματικης, generale est, &
disciplinā significat, ut μαθησεν discere, μαθητης discipulum: specialis tamen intelli-
gentia facta est ad doctrinā quantitatis exprimendū. Synecdoche generis pro spe-
cie causam hinc habuit, quod diutissimè mathemata sola ex artibus discebantur, ut
primo libro patuit, cum nulla dum esset, neque grammatica, neque rhetorica, neque
logica: Itaq; tanquā hæ solæ essent artes, artes etiā sunt appellatæ: postea autē pro-
pter excellentiā generale nomen retentū est, quia hæ disciplinae omnium certissimæ
essent & accuratissimæ: quæq; doctoris lumen præcipuè requirerent, ut solæ artis &
doctrinæ nomine dignæ viderentur. Atque hæc mathematicæ definitio qualiscū-
que esto. Partitio autē est in arithmeticam & geometriam: quia quantitas mathe-
matica est discreta ut numerus, aut continua ut magnitudo. Procli de hac partitio-
ne cōmentatio duobus capitibus libri primi duodecimo & decimotertio produci-
tur. Quapropter partitionē mathematicæ ex ejus sententiā declaremus. Quid igi-
tur mathematica, quotuplex mathematicis visa est? Pythagorei mathematicæ par-
tes quatuor numerant, arithmeticam, musicam, geometriam, astrologiam: quoto e-
nim & quanto dividunt quotū per se esse, aut referri ad aliud: itē quantum quiesce-
re aut moveri: In primo arithmeticam: in secundo musicam: in tertio geometriam:
in quarto astrologiam collocant. At partitio ista non est κατὰ τὸ ἀληθινόν, imò planè falsa
est: musica non docet doctrinam numerorum, sed rationes & proportionēs sono-
rum: neque astrologia docet quantitatis doctrinam in linea, superficie, corpore, sed
naturam & affectionem corporum cœlestium. Utuntur artes omnes nominibus
& verbis: item argumento, enuntiatio, syllogismo, methodo, artes tamen earum re-
rum sunt grammatica tantum & logica: Ita dicendum musicam & astrologiam uti
numeris & lineamentis, id est quantitibus in arithmetica & geometria declara-
tis, quantitatis tamen doctrinam tantum esse arithmeticæ in numero, & geome-
tricæ in magnitudine. Quare quadripartita distributio mathematicum est falsa.
Geminus partitionem aliam paulò subtilius instituit, quod mathematica sit in-
telligibilem vel sensibilem: Intelligibilem, ut arithmetica & geometria: sen-
sibi-